

qui Canonis sacri custodes fuerunt constituti, nostri prophetæ oracula in canonem receperunt, quod constat ex Syrac. XLIX. v. 12. ubi de duodecim prophetis loquitur, qui nostri sunt prophetæ minores in unum volumen conjuncti, quos inter noster Habakuk. Certum ergo est, ducentis ante Christum natum annis libellos duodecim prophetarum fuisse in unum volumen collectos, & Judæorum canoni additos. Si redeamus ad primam vaticiniorum nostrorum publicationem ex ipso nostro propheta constabit, partem eorum non minimam nostri libelli, Dei mandato tabulis fuisse inscriptam in publico loco appensis, ut omnes prætereuntes eam legere poterint. Hoc enim docet mandatum prophetæ injunctum Cap. II. v. 2. *Scribe visionem & explana illam in tabulis, ut, qui prætercurrit, perlegat eam.* Nec prætermittendum est, quod propheta canticum suum, quod tertio capite legitur, tradiderit cantori suo, quod sine dubio eum in finem fecit, ut cantaretur in conventu fidelium conf. Cap. III. v. ult. Ceterum noster propheta est genuinus Mosaicæ legis discipulus & vindex, qui conquestus est de innocentium oppressione, vastatione & legis neglectu. Sententiæ, quas ex ore & calamo ejus habemus, analogiæ librorum Divinorum sunt consentaneæ, & ecclesiæ militanti salutare, quæ omnia nos docent, prophetam non ex humano, sed divino spiritu vaticinia nostra conscripsisse.

§. 20.

Vaticinia antiqua iis planiora sunt, quibus temporum status, quo edita, perspectus est, propterea nec temus compendium rerum ætate prophetæ nostri gestarum. Imprimis consideranda sunt gesta regis Ægyptiorum
Nechi